

piété et la confiance des hommes, afin que tous puissent participer à la plénitude de ses grâces. Comme gage de ce succès que Nous prédisons à votre œuvre, recevez Notre bénédiction apostolique, que Nous vous adressons bien affectueusement en témoignage de Notre gratitude et de Notre paternelle bienveillance.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 4 septembre 1869, de notre pontificat l'an XXIV.

PIE IX, PAPE.

DILECTORI FILIO HENRICO LASSERRE

PIUS P. P. IX.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam Benedictionem.

Gratulamus tibi, Dilecte Fili, quod, insigni auctus beneficio, votum tuum accuratissimo studio diligentiaque exsolveris; et novam clementissimæ Dei Matris apparitionem ita testamatam facere curaveris, ut conflictu ipso humanæ malitiæ cum cœlesti misericordia claritas eventus firmior ac luculentior appareret. Omnes certe in proposita a te rerum serie perspicere poterunt, religionem nostram sanctissiman vergere in veram populorum utilitatem; confluentes ad se omnes supernis juxta et terrenis cumulare beneficiis; aptissimam esse ordinii servando, vi etiam submota; concitatos in turbis animorum motus, licet justos, compescere; iisque rebus sedulo adlaborare Clerum, eumque adeo abesse a superstitione fovenda, ut imo segniorem se præbeat ac severiorem aliis omnibus in judicio edendo de factis, quæ naturæ vires excedere videntur. Nec minus aperte patebit, impietatem incassum indixisse religioni bellum, et frustra machinationes hominum divinæ Providentiae consiliis obstare; quæ imo nequitia eorum et ausu sic uti consuevit, ut majorem inde querat operibus suis splendorem et virtutem. Libentissime propterea exceptimus volumen tuum, cui titulus NOTRE DAME DE LOURDES; fore fidentes, ut quæ per mira potentiarum ac benignitatis suæ signa undique frequentissimos advenas accersit; scripto etiam tuo uti velit ad propagandam latius fovendamque in se pietatem hominum accipere possint. Hujus, quem ominamur, exitus labori tuo auspiciem accipe Benedictionem Apostolicam, quam tibi grati animi Nostri et paternæ benevolentiae testem peramenter impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die, 4 Septembris 1869, Pontificatus Nostri Anno XXIV.

PIUS PP. IX.